



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Angeli Cvstodis Ad Hvgonem Grotivm Svper Nvpero Eivs  
Carcere Paræneticon**

**Hemelaers, Jan**

**Antverpiae, 1621**

Alivd.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70494)

Arcta licet, fuit *A R C A* capax, nec pondere magno  
 Succubuit, veluti sub iniquo fasce viator,  
 Ingenuitve premi. clari quin sæpè labores  
 Ingenij, Doctorum & opes perferre fidelis,  
 Et domino cultas portare assueta tabellas;  
 Illius extremum mox ad selecta laborem  
 (Si ligno quis sensus inest) concepit amorem  
 Prædulcis famæ, & celebranda volare petiuit  
 Docta per ora virum, monstrari, & dici, *Hæc est.*  
 Promptior ergo ipsum, quàm, vt pridem, ferre  
 libellos,  
 Dum textit non pressit herum, non panda, cre-  
 pante  
 Prodidit, ast fidas hilarem traduxit in oras,  
 Optataque diu mox libertate beavit.  
 Dignam itaq; ad feros nomen transferre nepotes  
 Versibus æternis clari celebrate Poëtæ.

A L I V D.

**P** E L L A E I iuuenis (cui vasti ob cordis hiatum  
 Immensamque sitim laudis, sceptri atque  
 triumpho,  
 Ex populi palpo *M A G N I* cognomen adhefit)  
 Dum nimis angusto querit de limite mundi,  
 Terra haud visa capax fuit: ast (Babylone sepultum  
 Sex septemve pedum tenuis dum continet arca)  
 Carceris ipse atri tenebris adscriptus in æuum  
 Parte sui, atque alia manes detrusus ad imos,  
 Iamque suis oculis vilis, nimiumque pusillus  
 Vota hominum quantilla sient, quàm vana fatetur.  
*Hugoni* (quem stirps, gentilis linguaque *M A G N I*  
 Signa-



Signauit titulo, nec tanti nominis omen  
 Permisit vacuum) postquam illum carceris antro  
 Infami hostilis sepelisset factio turbæ,  
 Quattuor *A R C A* pedum vitam, famam, atque  
 salutem

Reddidit incluso (fuit huius prouida consors  
 Femina dux facti) quem pridem & perdere liuor  
 Gestierat, frustra patriæ dum iura vocantem  
 Claustrorum tenebris damnauerat atque catenis,  
 Vexatum in tristi diris custodibus arce;  
 Maiorem ipsa sibi lætisq̄ue remisit amicis.

Magnū illum in viuis detexerat arca pusillum:  
 Damnatū hunc, capitis ciuili & morte minutum  
 Complexa Arca breuis tum libertate beaur,  
 Tum Famæ immensis sublimem sustulit alis.  
 Arcam igitur si quis rectè librārit vtramque;  
 Quantum surgenti concedit subruta famæ,  
 Quantum sol oriens potior fugientibus astris,  
 Vita redux morte est, & cæco carcere cælum:  
 Et quantum tenebris præstant noua lumina, dicer.  
*Grotiada tantum Pellai cedere & Arcam.*

